PETRUS LOMBARDUS

Klosterneuburg, Anfang 13. Jh.

Seite 330r

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=1141
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

quam sua pena. quorum dolore iste
defecit. tanta est uirtus pietatis.
ab. Hic notatur quintum propositum. quod
est dolere alienam culpam. non
suam contumeliam. immo et pro eis
orat. Sequitur. Cantabiles michi e-
rant iustificationes tue. in loco
peregrinationis mee. Hec facta est
michi. quia iustificationes tuas
exquisiui. Cantabiles michi e-
rant iustificationes tue, quasi diceret: De-
fectio tenuit me. et quamuis hoc
sit. tamen cantabiles et cetera. Vel ita
continua. Ideo predicta omnia mi-
chi sunt. quia iustificationes
tue erant michi cantabiles. assi-
due tractando. sine cura et a-
more terrenorum. et hoc per misericordiam
medicantis samaritani. qui uul-
nerati a latronibus egit curam. et
ideo bene dicit cantabiles. quia
ca. cantus releuat labores. et tollit
tedium. Ideoque determinans ubi
sint cantabiles. subdit: in loco pe-
regrinationis mee. id est in hac misera
uita. que dicitur locus peregrinatio-
nis. eo quod deiectus est homo de
paradyso. ubi regali honore do-
natus fuerat. in has miserias. ubi
penam sue improbitatis fleat. Hec
est illa humilitas de qua supra
amb dixit. Hic notatur sextum propositum
quod tale est. quod cantabiles sunt ei
ag. iustificationes. Possunt autem isti
duo uersus ad singulas partes
unius superioris aptari. ut ad hoc
quod ait. memor fui iudiciorum. re-
feratur tedium. ut defectio tenuit
me. Ad illud uero quod ait consolatus
sum. referatur cantabiles michi erant
iustificationes tue. et cetera. Et me-
mor fui o domine nominis tui. Vt qui
ag. gloriatur in domino glorietur. et hoc etiam
in nocte. nox est miseria. de mor-
talitate. et de superborum id est iniquitate.
et de tedio peccatorum. et de loco peregri-
nationis. Memor ergo fui nominis
tui in nocte. id est in presenti erumpna.
unde decuique sit. ubi magis quam in pro-
speris gratie sunt agende. et magis deo
adherendum est. Non est enim mag- ag.
num si hoc agas in prosperis. Vel memor fui
in nocte. ad litteram. non solum in die. Et
hoc est septimum propositum sancti uiri. quod amb.
non solum die sed etiam nocte. id est omni
tempore laudibus dei intendit. quod et
omnibus faciendum est. Nocte quippe iu-
das tradidit dominum. petrus negauit.
Quo ergo tempore magis est instandum
orationi; ideo autem memor fui. quia
ex deo est. quod etiam custodiui legem
tuam. alioquin non memor essem. Vel ita
continua. Memor fui. et sic custodiui
legem tuam. Quam non custodisset. si ag.
in uirtute sua confideret. Sequitur.
Hec facta est michi. Ambiguum est an ag.
dicatur hec lex. an hec nox. quia u-
trumque premissum est. sed greca locuti-
o unde hec translata est. satis indi-
cat non de lege dictum esse. Hec facta
est michi. Hoc enim pronomen femini-
ne dicitur apud grecos. apud quos
lex. masculini generis est. et ita con-
stat non dici hec lex. sed hec nox. Hec
est nox. in qua bestie silue exeunt. et
querunt a deo escam sibi. In qua sa-
tanas petiuit apostolos uexare sicut
triticum. Hec nox mortalitatis et
peregrinationis huius. humilitas non
absurde intelligitur. ubi inuicem
latitant corda mortalium. ubi innu-
merabiles et graues temptaciones o-
riuntur; et est. Merito fui memor et
custodiui legem tuam. quia hec nox in ag
qua multe temptaciones oriuntur.
facta est michi. id est per me. scilicet ut per desse-
rem ut sic discam non superbire. quo uicio
cecidit homo. in hanc noctem. Vnde per